

abolvimus, & totaliter liberamus, distasque poenas eis, & eorum cuilibet gratiose remittimus, & condonamus; necnon cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter præmissa forsitan innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu alias Divinis sese ingesserunt, aut in Ordinibus suis quomodolibet ministrarunt, seu alias quovis modo eorundem præmissorum occasione contracta, ad quemcumque effectum, etiam specifica, & individua mentione dignum, & de necessitate specialiter exprimendum, itidem de speciali dono gratie dispensamus.

Leges, & ordinationes servande in Causis Fidei præsertim novorum Christianorum.

§.5. Porro certam rebus in prædicto Inquisitionis adversus apostaticam, hereticamque pravitatem Officio in Portugallia, & Algarbiorum Regnis supradictis auctoritate Apostolica instituto de cetero perennis normam in Causis fidei, & præsertim contra Christianos novos motis, & quodcumque movendis inviolabiliter servandam tradere volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium statuimus, sancimus, decernimus, & ordinamus.

§.6. Ut de cetero confiscatio nunquam fiat ante sententiam, vel declaratoriam, nec bona interim præfenti Rei quacumque de causa distrahantur, præterquam ex causa alimentorum; sed tantum confiscatur Inventarium omnium bonorum, cum intervenit persona cum Inquisito conjuncta, & bona prædicta cum debita cautione eidem persone conjuncta, vel alteri idoneæ in forma depositi consignentur, ex quibus alimenta toti familie ejusdem Inquisiti subministrantur, & legitimis Creditoribus, prout de jure satisfiat. Et si in confessione Inventarii inveniatur bona, seu pecunie ad alios spectantes, hoc summarie justificato, illico restituantur. Post sententiam vero bona emphyteutica, seu fideicommissaria, aut alias quomodolibet subiecta restituantur, quibus de jure, & his peractis, Fiscus utatur jure suo.

§.7. Nec deveniatur ad carcerationem Inquisiti, nisi præcedentibus legitimis iudiciis, & prout de jure, neque detineantur carcerati ultra necessitatem sub quovis prætextu, sed quam citius fieri possit expediantur, non expectato actu publico, quem vocant actum fidei.

§.8. In Juramento autem, quod defertur Advocato Reorum Sancti Officii non ponantur illa verba = *se per congettura* =, vel alia idem importantia. Idem vero Advocatus Sancti Officii possit alloqui Reos sine assistentia, & eidem trahatur copia processus, suppressis nominibus, & circumstantiis denotantibus personas testium. Quod si Reus alium Advocatum petat, ei concedatur, dummodo sit bonæ famæ, cui pariter (præfinito juramento de secreto servando) tradatur copia processus, suppressis suppressendis, prout supra; Non tamen illi permittatur alloqui Reos, nisi cum assistentia Deputati ab Inquisitoribus ad hunc finem, & effectum.

§.9. Christiani novi non habentes exceptiones legales, admittantur ad deponendum in deensam Reorum.

§.10. Quo vero ad probationes negativæ coarctate procedatur juxta Juris dispositionem, & canonicas sanctiones.

§.11. Nec Tutor, seu Curator, quibus de jure dandus est, ullo modo detur Custos Carcerum, neque alius Officialis Sancti Officii, sed deputetur alia persona gravis, fidelis, & bonæ conscientie.

§.12. Prohibeantur autem omnino quæcumque suggestiones, concussiones, promissiones, & similia in examinibus Testium, & Reorum constitutis; nec ex descendencia sanguinis Hebræi ulla deduci possit probatio Judaismi contra talem descendentem; imo nec ex ipsa sola descendencia ulla præsumptio sufficiens ad actum judicialem.

§.13. Si autem carcerati non veniant condemnandi, nullo modo compellantur ascendere pascum, & si non fuerint reperti culpabiles non retardetur eorum expeditio, sed illico relaxentur, etiam non expectato actu publico, quem vocant actum Fidei.

§.14. Neque Christiani novi ex sola qualitate repellere debent a Testimonio ferendo contra Christianos veteres, salvo tamen exceptionibus legalibus, nec ab eisdem exigatur Juramentum de non deponendo contra Christianos veteres, & tollatur omnino statutum, seu consuetudo, si adsit, puniendi Christianos novos, ex eo quod deposuerit contra Christianos veteres.

§.15. In illis autem casibus, in quibus potest constare de corpore delicti facti permanentis, procedi non possit ad constituendum Inquisitum inter Reos, nisi prius de illo legitime constiterit.

§.16. Nec sit habendus pro diminuto is, qui in sua confessione non nominat Testem informatum, qui tamquam purus Testis contra ipsum deposuit, quantumvis sibi conjunctum, in quocumque gradu.

§.17. Confessus autem in causis Apostasie a fide, qui non nominavit sibi conjunctum in primo gradu ejusdem delicti complicem, non sit habendus pro diminuto, nisi copulative concurrant plena, & legitima probatio dictæ complicitatis, dolosa occultatio prædicti complicitatis, & nulla urgeat in ipso Reo confessio oblivionis præsumptio.

§.18. Quod si Reus, qui post suam confessionem de caeremoniis Judaicis in observantiam legis Moysis ab ipso factis tempore quo in illam credebatur, non fuerit convictus a testibus legalibus, sive idoneis, denuo repetiisse eandem caeremonias Judaicas, quas in novis constitutis negaverit, non sit damnandus ad penam ordinariam, & multo minus, si caeremonie illæ essent æquivocæ, & indifferentes.

§.19. Testes vero loco, & tempore singulares, testes tamen in specie heresis determinate, seu Apostasie a fide, admitti possint ad testificandum contra Inquisitos de Judaismo in Regno Lusitanie, juxta illius antiquissimam consuetudinem, & ex nonnullis aliis circumstantiis in eodem Regno in Fidei favorem concurrentibus, dummodo tamen sint plures in numero, & in qualitate considerabiles, idonei, fide digni, legales, & quales de jure esse debent, atque insimul concurrentibus verisimilibus conjecturis, & attentis, atque diligenter examinatis aliis circumstantiis, & qualitate eorum, contra quos deponitur, sic testificantes, ut falsa non dicere præsumantur. Testes autem singulares, deponentes inverisimilia, & impossibilia nullum gradum probationis faciant.

§.20.

§.20. Porro repetitio Testium sit omnino necessaria post litem contestatam cum citatione, scilicet cum notitia Rei, & interrogatoris dandis per Procuratorem ipsius Rei, seu officio suppleendis, alias eorum depositiones non afficiant.

§.21. Testes quoque deponentes de iudiciis remotis confessionis extrajudicialis Judaismi non probent ad effectum condemnandi negativum ad penam ordinariam. Quam vero probationem faciant prædicti Testes, quoad alias poenas, vel alios effectus, remittitur conscientie, & prudentie Judicis Ecclesiastici timentis Deum.

§.22. Confessiones autem extortæ contra formam juridicam, vel per suggestionem, vel promissionem vite, & liberationis, seu generales, aut obscure, seu repugnantes ætati, sexui, & intellectui consentientis, non sufficiant contra negativum pro pena ordinaria, & nisi aliunde legitime adminiculentur prædictæ confessiones, nullam probationem faciant.

§.23. Carcerati vero charitative tractentur, & redigantur carceres minus rigidi, & non tam obscuro.

§.24. Ac demum carceratis in Sancto Officio, sive confessis, sive non, permitti possint Libri Spirituales, & Officium Beate Virginis, vel Breviarium modis opportunis, & eisdem Carceratis, dentur Confessarii, & Assistentes in Articulo mortis.

§.25. Quoad Sacramentum vero Eucharistie, & extreme Unctionis arbitrio, & conscientie Judicis, ut supra id remittimus.

Harum legum observantia præcipitur sub certis poenis.

§.26. Mandantes prædicto Verissimo Archiepiscopo Moderno, & pro tempore existentibus Inquisitoribus Generalibus, ceterisque Inquisitoribus præsentibus, & quodcumque futuris districtorum Regnorum Portugallie, & Algarbiorum, ac illorum, & cujuslibet eorum respective Ministris, & Officialibus quibuscumque, ut omnes, & singulas leges, & ordinationes supra scriptas inviolabiliter, ac exacte, & accurate in omnibus & per omnia observent, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit pariformiter observari curent, & faciant. Alioquin Inquisitor quidem Generalis interdicti ab ingressu Ecclesie, ceteri vero Inquisitores, & Officiales, & Ministri prædicti excommunicationis majoris late sententie poenas respective ab iis, qui quoquomodo contraverint ipso facto absque alia declaratione incurrendas, a quibus relaxationis, seu absolutionis beneficium a nemine, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (nisi in mortis articulo constituti) obtinere valeant, se noverint incururos.

Clausula.

§.27. Ac Decernentes ipsas præfentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentie, & dignitatis existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expresse digni, ad ea vocati, citati, & auditi, seu Causa, propter quas eadem præfentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætex-

tu, & capite, etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissime, & totalis læsionis, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuaque expresse requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, limitari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas a peritioris oris, restitutionis in integrum, aliuvæ quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præfentes Literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri, & illis respectivè in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

§.28. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeatur, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolice Curie Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.29. Non obstantibus Literis supradictis, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellarie Apostolicæ Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Tribunalis prædicti, & aliis quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam in favorem fidei, & dicti Tribunalis, ac Regnorum prædictorum, necnon Inquisitorum, aliarumque personarum quarumlibet, etiam specifica, & individua mentione, & expresse dignarum sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac ad quarumcumque personarum etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium Instantiam, seu earum contemplationem, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum in genere, vel in specie concessis, ac pluries, & quantumcumque vicibus confirmatis, iteratis, & approbatis, & innovatis.

§.30. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque

totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 31. Volumus autem, ut Inquisitores, & alii predicti poenitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter premissa respective imposuerit, omnino adimpleant; alioquin presentes Literae, quoad absolutionem in foro conscientiae eis minime suffragentur.

§. 32. Utque earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XXII. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CVII.

Conceduntur Fratribus Oblatis Tertii Ordinis S. Francisci Provinciae Franciae post decennium a Professione jura omnia antiquorum Fratrum Laicorum.

Oblatis in statu Laicorum constitutis concessum fuit suffragium in solis Professionibus a Clem. X. ed. 1672., Maji 12., Pont. 3. sed postea Const. ed. 1675. Maji 28. tributa fuerunt Oblatis jam admittis ante primam Constitutionem jura omnia Laicorum. Et ab hoc Pont. confirmata fuerunt eorum Constitut. Const. ed. 1738. Martii 13., Pont. 12.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur praedictae litterae Clementis X.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores Provinciae Franciae Tertii Ordinis Sancti Francisci; quod dudum sel. rec. Clem. PP. X. praedecessor noster per quaedam suas in simili forma Brevis anno 1672. emanatas literas pro bono Regimine Fratrum Oblatorum, seu serventium, & Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanae dicti Ordinis inter alia statuit, ut Fratres praefati, tam Oblati, quam alii, qui ad statum laicalem assumerentur, nullo unquam tempore suffragiorum jure gauderent, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status; verum earundem literarum executio suspensa fuit per tres annos, quibus elapsis Superiores dictae Provinciae Franciae recursum ad eundem Clementem praedecessorem habuerunt, & ab eo alias pariter in forma Brevis die 28. Maji 1675. expeditas literas obtinuerunt, per quas omnibus Fratribus Oblatis, seu serventibus, qui in eadem Provincia habitum Religionis ante emanationem primordiarum literarum susceperant, juribus Fratrum Laicorum juxta Ordinis praedicti Con-

stitutiones gaudendi privilegium indultum fuit, dummodo tamen per decennium in statu Oblatorum hujusmodi permanerent, & alias prout in binis literis praedictis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Superiores praedicti per hoc temporis spatium, usque ad praesens maximam in dicta Provincia tranquillitatem, & pacem ex concessione praefati Indulti, illiusque observantia animadverterint, & hujusmodi praxim pro conservanda inter Fratres quiete observare peroptent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eorumdem Superiorum votis, quantum cum Dño possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, ut omnes Fratres Oblati praefatae Provinciae Franciae, tam de praesenti existentes, quam in posterum in eadem Provincia recipiendi, postquam tamen, completo novitiatus anno, in suo oblatoium statu per decennium remanserint, juribus antiquorum Fratrum Laicorum Congregationis Gallicanae, & Ordinis praefatorum gaudere possint, auctoritate Apostolica tenore presentium statuimus, ac concedimus, & indulgemus.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicut in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus primordicis Clementis praedecessoris literis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, & quatenus opus sit Provinciae praefatae, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 4. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XXVII. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Preces Superiorum memoratae Provinciae.

Concessio dd. jurium oultis facta.

Clausula.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commisissae Nobis a Domino dispensationis ratio exigit, ut caelestium munerum thesauros prudenti, fidelique liberalitate erogemus, cum id ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem speramus in Domino profuturum.

§. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Servorum Mariae Virginis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Confororibus Confraternitatum sub titulo Septem Dolorum ejusdem Beatae Mariae Virginis, tam haecenus in Ecclesiis dicti Ordinis erectarum, quam deinceps quomodocumque erigendarum, vere poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui suae respective Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium Dominicae Passionis a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem Dominicae annis singulis devote visitaverint, ibique piis considerationes septem Dolorum Beatissimae Virginis, & praecipue Passionis Domini Nostri Jesu Christi fecerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Haereseum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione piis ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer concedimus.

§. 2. Eisdem vero Confratribus, & Confororibus per annum exercentibus se hujusmodi considerationibus, ac meditationibus, ac precibus praesertim, Oratione Dominica, & Salutatione Angelica cum Cantico, Stabat Mater dolorosa &c. in Ecclesiis praedictis recitari, aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac ut praefertur, orantibus, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§. 3. Praeterea Confratribus, & Confororibus praedictis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium suae respective Confraternitatis diebus Stationum Almae Urbis nostrae in Romano Missali descriptis devote pariter visitantibus, & orantibus, ut supra, quod omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si Ecclesias, tam intra, quam extra eandem Urbem positas ad id destinatas diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devote visitassent.

§. 4. Utque iidem Confratres, & Conforores tam praedictas, quam alias quascumque Indulgentias, & peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes dictis Confraternitatibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, ac etiam forsitan a Nobis quomodolibet concessas Fidelium Defunctorum Animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, concedimus similiter, & indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 5. Non obstante nostra, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 30. Aug. 1681. An. 5.

Conceditur Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus aliquam ex Ecclesiis Monachorum, Caesinarum die festo S. Petri Caeslini Papae V. eorum Institutoris.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncta Nobis divinitus Apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium munerum Thesauros, dispensationi nostrae a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam inter Sanctiorum in Caelis cum Christo regnantium Venerationem, excitandamque, & conservandam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Caesinarum nuncupatorum, Ordinis S. Benedicti, nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quoruncumque Monasteriorum dictae Congregationis Caesinarum, tam haecenus erectis, quam in posterum quomodocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, die festo S. Petri Caeslini ejusdem Congregationis Fundatoris, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi, pro Christianorum Principum concordia, haereseum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, piis ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio dictae Indulgentiae.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXX. Aug. MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

CIX.

Dat. 1. Septembris 1681. an. 5.

Conceduntur quaedam Indulgentiae Perpetuae Confraternitatibus Septem Dolorum B. M. V. in Ecclesiis Fratrum Servorum ejusdem B. M. V. erectis.

Concessa fuit Indulgentia Plenaria Confraternitatibus Habitibus Servorum B. M. V. ab hoc Pontifice Const. ed. 1678., Janu. 30., Pont. 1. Et Const. ed. 1683., Octobris 24., Pont. 8. confirmatum, fuit Summarium Indulgentiarum Confrater. Septem Dolorum.

Exordium.

Preces Prioris, & Procuratoris Generalis.

Indulgentia Plenaria die Dominicae Passionis.

Indulgentia 100. dierum per annum.

Indulgentia Stationum.

Facultas eas applicandi per modum suffragii.

Clausula.

§.6. Volumus autem, ut eorumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostense. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

C X.

Indicatur universale Jubilaeum ad implorandam divinam operam pro presentibus tunc Ecclesiae necessitatibus.

Similia Jubilaea habes in Clem. X. Const. ed. 1674. Maji 16. Kal., Pont. 4. Et Const. ed. 1672. Novem. 5., Pont. 3., Item in hujus Pontif. Const. ed. 1683., Aug. 11., Pont. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Universis Christianissimilibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Onerosam curarum Pontificiarum molem, humilitati, atque infirmitati nostrae jam dudum divinitus impositam, in summis quidem rerum omnium difficultatibus, quantum Divina bonitas dedit, sustinere, & pastoralem vigilantiam nostram pro Dominici gregis salute in hac excelsa Apostolica Sedis specula excubantem Domino representare haecenus conati sumus: Sed illam nunc, tum praeteritarum erumnarum recordatione, tum presentium sensu, & imminenti formidine longe graviorem experimur. Nam quamvis ineffabilis Dei benignitas, populi sui precibus exorata, atrocis belli calamitates, quibus nobiliores Christiani Orbis Provinciae miserabiliter vastabantur, pace inter Principes Christianos composita sedaverit, non cessavit tamen, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superfeminare zizaniam, ut quidquid boni tot curis, atque laboribus, actum est, pervertat, perniciosisque machinationibus pristina dissidia excitet, & nova accendat, quibus Christianam Rempublicam in majores, luctuosioresque miseras praecipitet, latamque immiti Christiani nominis inimico Turcarum Tyranno fenestram aperiat, per quam Christianorum fines formidabili sua potentia irrumpere, Regna, & Provincias, ac Principatus evertere, suae tyrannidi adjungere, ac perfidiae suae abominationem in Ecclesia Dei viventis plantare, & latius propagare moliat. Et Nos quidem privati nostris sacrificiis, indistincte etiam publice precibus, pro muneris nostri ratione adversus praesentia, imminetiaque mala remedium a Deo quare non desistimus: sed illud longe efficacius, promptiusque consequi speramus, si ad privatas nostras totius Christiani populi obsecrationes, orationes, atque deprecationes adiungantur. Potens est enim oratio Ecclesiae supplicantis ad Dominum, qui pius est, & misericors, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Adeamus itaque cum fiducia ad Thronum gratiae, scindamus corda nostra, & expiatis per ve-

A Statu Christianae Republicae.

Necessitas publicarum Oratorum.

ram poenitentiam peccatis, quae sola inter Deum, & homines separant, divinam indignationem placare, jejuniisque, & elemosynis vires orationis intendere, & praestabilem super hominum malitia Dei clementiam concordibus votis exorare studeamus: Ut benignissimus Dominus, & Deus noster, cujus misericordia super omnia opera ejus cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, Ecclesiam suam Sanctam ab Infidelium, ac Haereticorum, & Schismaticorum insidiis, periculis, & persecutionibus tueri & protegere, Haereses, & Schismata extirpare, Principum Christianorum animos, sublati omnibus illis, quae concordiam turbare possent, arctiori, atque indissolubili charitatis vinculo conjungere, ac in causa communis tuitionem unire, & confociare, populumque sibi acceptabilem facere, & per viam mandatorum ejus ambulantem gratiae suae donis in hac peregrinatione fovere, & confortare, assiduique virtutum incrementis perficere, & ad propositam aeternae beatitudinis metam feliciter perducere dignetur.

§.1. Hoc autem ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu fiat, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit Divina dignatio, aperire, & larga manu erogare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christianissimilibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctae Mariae Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, & Sanctas filicas, vel earum aliquam intra spatium duarum proximarum hebdomadarum saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra effuderint, & quarta, & sexta feriis, & Sabbato alterius ex praelatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggereret devotio, erogaverint, ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatium duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut praefertur faciendae decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feriis, & Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communionem recepti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, & elargimur.

Jubilaeum.

Pro Romae degentibus.

Pro existentibus extra Urbem.

§.2.

Pro navigantibus, & iter agentibus.

§.2. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua se domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Clausuris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praesare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Pro Regularibus, & impeditis.

De Confessione.

§.3. Insuper omnibus, & singulis Christianissimilibus utriusque sexus tam laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe praefata, quam extra eam, ubique locorum, ut praefertur degentibus, licentiam concedimus, ac facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis, & instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, seu inflicis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, seu Nobis, & Sedi Apostolicae, etiam per literas die Coenae Domini legi solitas, & alias quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, & hac vice tantum abolvere, & liberare valeat, & insuper vota quaecumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia saluari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

De Votis.

Præcipitur Jubilaei publicatio.

Ad quos casus non extendatur.

§.4. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiasticis Praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel eis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim, & absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

§.5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quocummodo contracta dispensare, vel aliquam

facultatem tribuere dispensandi, seu habitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae: neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse, declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Clausula.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi co-cessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon Regulae nostrae de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seu institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegii quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Ut autem praesentes literae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut eorumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Quinto.

C X I.

Confirmatur Decretum particularis Congregationis, quo declaratum fuit, Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem diversam ab ea SS. Salvatoris, seu S. Brigittae.

Dat. 24. Os. 1681. an. 5.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Manavit nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotio Fratrum Brigittanorum.

Decretum praedictae Congregationis.

Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Congregatio particularis nonnullorum Eminen- tissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super negotio Brigittanorum Novissimorum specialiter deputata ex noviter deductis, & specialiter visis, & mature consideratis Con- stitutionibus Summorum Pontificum, censuit recedendum esse a Decreto alias die 5. Maji 1677. emanato, ac propterea declaravit Congregationem Brigittanorum Novissimorum esse veram Religionem sub Regula Sancti Augustini a Sancta Sede Apostolica in Congregationem erectam, diversam tamen a Religione Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctae Brigittae ab Urbano VI., Martino V., Eugenio IV. erectam, & respective approbatam, & dictae Religionis Novissimorum profectos utriusque sexus esse, & reputari veros Religiosos. Romae 2. Julii 1681. = G. Cardinalis Carpeneus Archiepiscopus-San. Secr.

Proces Prioris Generalis.

§.1. Cum autem sicut dilectus filius Guillelmus ab Assumptione Prior Generalis Congregationis dictorum Fratrum Brigittanorum Novissimorum Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolice confirmationis nostrae patrocinio communi- ri summopere desideret: Nos specialem ipsi Guillelmo Procuratori Generali gratiam fieri volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio d. Decreti.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si seorsum super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Octobris MDCLXXXI. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Componuntur a Pontifice variae lites ortae inter Archiepiscopum Mechliniensem, & ejus Diocesis Regulares exemptos.

Dat. 20. Maji 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Um inter Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Mechliniensem ex una, ac dilectos filios Regularium Ordinum Professores Civitatis, & Diocesis Mechliniensis, qui ab Ordinaria Jurisdictione exempti sunt, ex altera partibus, nonnullae controversiae exorta, & in particulari Congregatione desuper a Nobis deputata pluries ventilata fuerunt: Ipsae vero partes, paternae charitati nostrae ad concordiam inter eas stabilendam benigne propense, humili obsequio morem gerentes, de controversiis hujusmodi inter se amicabiliter convenerint, Nobisque humiliter supplicaverint, ut opportune desuper providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Hinc est, quod Nos specialem Archiepiscopo, & Regularibus praefitis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac controversias praedictas ad Nos harum serie avocantes, omnemque litem super illis, seu eorum occasione emanatam extinguentes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus, & ordinamus, ut in posterum dictus Archiepiscopus non possit exigere a praefatis Regularibus exemptis, & Apostolicae Sedi immediate subiectis, in eorum promotione ad Ordines, in benedictione Abbatum, & in licentis praedicandi, & confessiones audiendi, ac in alia quacumque occasione, obedientiam cum juramento fidelitatis, sed tam ab Archiepiscopo, quam a Regularibus debeat accurate in similibus actibus observari forma, & dispositio Pontificalis Romani in Alma Urbe nostra novissime impressi: licitum, autem sit iisdem Regularibus gestare in publicis processionibus cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, Reliquias, & Imagines Sanctorum, hoc tamen servato, ut dictae Reliquiae, & Imagines portentur in principio processiones inter prima lumina, itant inter ipsas, & Sanctissimum Sacramentum sit rationalis, & competens distantia. In ipsis vero processionibus procedatur cum omni debita modestia, & devotione, nec illae fiant per plateas, & vias mercatum, ac ubi Populus in profanis coetibus occupatus sit, non tamen liceat dictis Regularibus facere processiones hujusmodi extra Claustra suorum Conventuum, nisi duabus tantum vicibus in anno, una intra Octavam festivitatis Corporis Domini, & altera in una die Dominica, vel festiva de praecipuo tantum, determinanda ab iisdem Regularibus, cum approbatione praefati Archiepiscopi, intra terminum unius mensis; cum expressa tamen declaratione, quod quicquid supra stabilitur circa praedictas processiones, non intelli-

Lites hujusmodi pluries examinate fuerunt.

Proces partium pro compositione ad litem.

A Pontifice nonnullae sunt Ordinationes circa Obedientiam cum juramento.

Circa gestationem Reliquiarum.

Circa Processiones.

telligatur suffragari illis Societatibus, & Confraternitatibus, quae in Ecclesiis ipsorum Regularium erectae, aut illis adscriptae sint. Occurrente autem aliqua publica, & gravi causa, quae reiterationem similium processuum requireret, non possint Regulares eas facere absque praecedente expressa licentia praefati Archiepiscopi, qui eo casu poterit providere secundum dictamina propriae prudentiae, & pietatis. Porro liceat iisdem Regularibus exemptis in eorum Ecclesiis absque alia memorati Archiepiscopi licentia, horis vespertinis exponere venerationi Populi praefatum Sanctissimum Sacramentum in Ostensorio, diebus, & festis infra scriptis: Videlicet, in omnibus Dominicis anni, in festis Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistae, Circumcisionis Domini, secundo, & tertio diebus Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, in festo Ascensionis Domini, in Octava Corporis Domini, in omnibus Beatissimae Virginis Mariae festivitatis de praecipuo, in festis Sanctorum Apostolorum, in die Omnium Sanctorum, in die Dedicationis Ecclesiae, in festivitate Protectoris ejusdem, intra mensem a Regularibus eligenda, si Ecclesia plures uno habuerit, in diebus Dedicationis Sancti Michaelis Arcangelii, Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, ac Sanctorum Petri, & Pauli, & in festivitate Fundatoris Ordinis. Ac pariter licitum sit, ut supra praefatis Regularibus exemptis exponere iisdem horis vespertinis, sed in Ciborio, praefatum Sanctissimum Sacramentum singulis quintis feriis, aut alio die feriato intra terminum unius mensis, ut supra eligendo; licita quoque sit, ut supra expositio in Ostensorio mane tempore Missae principalis, in iis tamen locis tantum ubi haec tenus consuetum est, in diebus festivis tantum infra scriptis: Nemp Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Domini, & matutino tempore illius diei intra Octavam Corporis Domini, qua processio supra enuntiata fiet, ac in festivitatibus Assumptionis B. Mariae Virginis, & omnium Sanctorum. In omnibus autem expositionibus supra dictis non possit populo dari nisi una tantum benedictio cum Sanctissimo Sacramento; nec idem SSimum Sacramentum possit eodem die publice exponi in pluribus Altaribus ejusdem Ecclesiae, nec postquam in uno Altari expositum fuerit, ad aliud Altare, ut ibi pariter exponatur, transportari valeat. Quod si Sacra Communio eodem tempore quo Sanctissimum Sacramentum expositum sit, administranda fuerit, id fiat in Altari diverso, sumendo Sanctissimum Sacramentum ex Ciborio, & finita Communione reponatur in Tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit. Denique circa idem Sanctissimum Sacramentum dum expositum fuerit, debeant ardere ante illud continuo saltem decem Candelae ex cera candida, & pariter ibidem assistere absque intermissione duo Religiosi genulexi.

Circa expositionem SS. Sacramenti.

Clausula.

§.1. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,

judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.2. Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Maii MDCLXXXI., Pontificatus nostri Anno Sexto.

Confirmatur Pontificis Decretum, quo vetitum fuit Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanae electio Sociorum ad Generale Capitulum mittendorum.

Dat. 12. Julii 1682. An. 6.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Um Nobis innotuisset, in Congregatione Mantuana Fratrum Ordinis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo ex praescripto Constitutionum ipsius Congregationis servari, ut quilibet Conventus, in quo sex Fratres in Sacro presbyteratus ordine constituti de familia residerent, suum eligeret socium, qui ad Capitulum Generale d. Congregationis accederet in coque voti, sive suffragii prerogativam haberet. Verum, ejusmodi Sociorum electionem, & ad Capitularia comitia accessum non solum praefata Congregationi, ejusque Conventibus multum adferunt dispendii, sed etiam prorsus inutiles esse, cum finis, cujus gratia introducta fuerat hujusmodi Sociorum electio, aut cessasset, aut variis artibus eluderetur, aut aliunde melius obtineri valeret, quin etiam eorumdem Sociorum in Capitulis Generalibus interventum electionibus, aliisque actibus ibidem fieri solitis, quo minus recte, atque ordine fierent, multum impediamenti, atque perturbationis inuere. Nos die 16. Martii proxime praeteriti, attentis praemissis, aliisque justis de causis animum nostrum moventibus, expresse mandavimus, ut occasione tam Capituli Generalis tunc de proximo, quam aliorum quorumcumque in perpetuum celebrandorum, nullatenus a Conventibus dictae Congregationis Mantuanae deveniretur ad electionem Sociorum

Electio dictorum Sociorum juxta Constitutiones Congregationis.

Causa non permittendi hanc electionem.

Decretum S. Pontificis eam reprobat.